

# SIGISMUNDVS AVGVSTVS

Dei gratia REX Polonie. Magnus DVX Lituanię Russie Totiusq; Prussie Samogithie Mazonie etc. Dominus & heres. Significamus tenore presentium. quibus expedit vniuersis presentibus & futuris harum notitiam habituris. Quia cum retulisset ad Nos Generosus Joannes Hosius Vtrici, presbiter in Coelicivinski Lubow & Wiershyi honorum nostrorum. quod cum propter alia seruicia nostra. occupationesq; domesticas. tum vero ob imbecillitatem virium corporis. non raro morbis adficiat. Et ob alias preterea non leues causas non facile posset sufficere. administrationem. procuracionem & prouisionem pontis in flumine Vilia consistente. Simulq; ptochodochni seu Hospitalis egenorum & languiderum hominum penes echni assignatorum administrationem Et circa eorundem edificacionem & structuram. operam & curam non uulgarem. per tot annos. pro pietate susceptam. aut potius sibi. per serenissimum Principem & dominum Dominum Sigismundum dei gratia Regem Polonie Magnam Ducem Lituania. etc. parentem nostrum colendissimum. huius pontis atq; adeo etiam Hospitalis. primum fundatorem & instauratorem. impositam gerebat. Supplicare nobis non semel. ut eiusmodi curam & administracionem ab eo ammoueremus. Et cupiam potius alii imponeremus. qui ad hoc ipsum commodior & valentior nobis videretur. Nos vero. quauis propter illius. cum in hac administratione. tum vero & in aliis non paucis negociis nostris. non uulgarem industriam. in quibus suam nobis fidem dexteritateq; vehementer probauit. non libenter facturi fueramus. ut hac administratione careret. Attamen eius in hac re supplicacioni clementer assensim. Hac ipsa procuracione cum liberamus. ab solutimq; pronuntiamus. Sed cum tandem rationem quereremus. quam recte administrationi eiusmodi pontis & ptochodochni consulum fieret. Non alia nobis interim commodior visa est. qm. ut eam ad consulatum huius Ciuitatis nostrę. Vilneni reuereremus. Id quod et ipsi coram nobis compareri. vltro se suscepturi professi sunt. Quare demum futuris perpetuis temporibus. volumus & decernimus istam ipsam administrationem & procuracionem. tam pontis. veltigaliumq; seu telonei ex eo proueniens. Necnon etiam domus Hospitalis presati. curam omnem. penes Aduocatam Consulem & Consulares professionis Romane duntaxat. Et non Gręci ritus fieri debere. sic ut quotannis ipsi Aduocatus cum Consule Consularibusq; debebunt semper eligere & constituere. duos ex populo seu communitate viros. non modo fidei spectate. Sed et industrios pariterq; prudentes. quorum fidei & conscientię. omnem curam & administracionem tam pontis q; etiam Hospitalis mandent & committant. qui tandem sic designati & constituti. habebunt potestatem omnem. administrandi prouidendi & curam dicti pontis. veltigaliumq; ab eo proueniens. Necnon et dictę domus Hospitalis proueniuntq; eius omnium ad ea pertinentium. qui nunc habentur aut postea haberi poterit. Als secundum dictum priuilegium fundacionis & erectionis. dictorum pontis & domus Hospitalis. Serenissimi parentis nostri. Et secundum ordinationem ac constitutionem contentam in dicto priuilegio. Quod nos. ut patet Christiano Principe. in omnibus & singulis in eo contentis. approbamus. ratificamus. roburq; perpetuum Et nullo vnquam tempore quauis ratione violari habitum. decernimus per presentes. preter tamen curam & superioritatem administracionis predictę. que in priuilegio illo fuerat tam Reuerenti domino Episcopo Vilneni moderato. & pro tempore existenti. ac eius Capitulo delegata. quam ex certis rationibus ad presates Aduocatam Consulem & Consulares religionis Romane transferimus. defensionem tamen a vi & iniuriis tam dicti Hospitalis q; pontis. ceterorumq; bonorum ad id pertinentium. pro nobis. vbi ad hoc ipsum ipsi Curatores non suffecerint. esse reseruatam volumus. Qui quidem Aduocatus cum presatis collegis suis Consularibus designaturi semper erunt. preter illos duos ex populo eligendos. duos & suo collegio viros industrios. & ad gerendas res maxime idoneos. qui sub conscientia & fide sua. quoad fieri poterit. sepiissime Hospitalis illud intervisent. Et perlustrant diligenter omnia tam ea que ad edificacia. qm. ea que ad prouidendos & gubernandos egnos & languidos. qui in illo Hospitali fuerint. pertinerent. ut ritte pie. Et ordine debito omnia fierent. ydemq; superintendentes habebunt facultatem corrigendi ea. que illis minus apte aut incommode fieri per illos procuratores viderentur. Debebunt preterea ydem procuratores quotannis in fine cuiusq; anni. rationem reddere ad ministracionis & procuracionis sue. coram prenominato Aduocato. totoq; collegio eorum Consulari. aut saltem coram aliquibus ab eis ad id deputatis. Simulq; ad iudicium alius duobus ex populo seu communitate. per eandem eligendis ybiq; iuste & secundum conscientiam demonstrare & declarare. quantum ex prouentibus tam annuis q; etiam ex elemosina & alias quomodo cunq; per illum annum perceperint. atq; in quos vsus id collocauerint & expenderit. qua quidem ratione ab eis suscepta. debet ipse consulatus registra seu libros rationu. ab eis acceptos adseruare. Et dum requisiti fuerint. coram nobis aut commissariis nostris. ad id per nos specialiter deputatis. repone. ad reuident eadem & demonstrant an legitime cuiusmodi ratio fuerit absoluta & expedita. In quorum omnium fidem & testimonium euidentius Sigillum nostrum presentibus est appensum. eisdemq; subscripsimus. Actum & Datum Vilię Die Lune ipso festo dñi Floriani. Martyris. Anno a Natali Christi. Millesimo Quingentesimo quadragesimo quinto.

Sigismundus Augustus

1545



*Faint handwritten text, possibly a title or address.*

*Handwritten text in the top left corner, including the number 15595.*

*Handwritten text in the top center, possibly a date or reference number.*

*Handwritten number 31 in red ink.*

*Large handwritten number 2112.*

*Handwritten number 1531.*

*Handwritten number 1545.*

*Handwritten word 'Говор'.*

*Handwritten text in the middle section, possibly a title or description.*

Виленская Публичная  
Библиотека  
В-141

*Handwritten text below the library stamp.*

*Handwritten text in the bottom right area.*

*Handwritten number 41.*

